



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. VIII. Domine Dominus noster, quàm admirabile, &c. Carm. gen. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

PSAL. VIII. Domine Dominus noster,
quàm admirabile, &c. Carm. gen. 7.

Gentis humanæ pater atque custos,
Quàm sancta maiestas tui
Nominis terras stupefecit omnes,
Sol quas recurrens adspicit!
Et super cæli radiantis orbis
Tua magnitudo se extulit.
In Dei laudes patefecit ora
Lactens puelli infantia:
Et tuas vires inimica castra
Sensere, & ultrices manus.
Luce quum cælos uitrea serenos,
Pollentis opera dexteræ
Cerno, quum lunam, nitidasque stellas
Per te creatas conspicio,
Quantulus (mecum tacitus reuoluo)
Homo est, ut eius sis memor!
Quantula humanæ est sobolis propago,
Dignere ut illam uifere?
Hunc Deo æqualem propè reddidisti:
Ornasti honore & gloria:
Et tuæ dextræ super uniuersa
Opera creasti principem:
Cuneta uitalis quibus haustus auræ est,
Illi dedisti sub pedes.
Huic boues parent & oues, pecusque
Quodcunq; campis pascitur:
Quique pennarum celeri uolatu
Metitur ales aëra:

Quique

Quique primarum celeri natatu
 Piscis pererrat æquora.
 Gentis humanæ pater atque custos,
 Quam sancta maiestas tui
 Nominis terras stupefecit omnes,
 Sol quas recurrens adspicit!

PSAL. IX. *Confitebor tibi Domine, in
 toto corde meo, &c. Carm. gen. 8.*

Rerum certa salus te cano, gratias
 Exoluo meritas ex animo tibi:
 Et miranda futuris
 Pandam facta nepotibus.
 Tutus præsidio nil metuum tuo:
 Lætus læta canam sed tibi carmina,
 Te laudabo supremi
 Aeternum ætheris arbitrum.
 Spes hostis temere elatus in improbas,
 Conuersus trepida terga dedit fuga,
 Et uirtute potentis
 Dextræ pectus abiit tuæ.
 Tu uindex cupidus exitij mei
 Perdis, tu trepido præsidium es reo:
 Tu litem mihi iudex
 Ex alto dirimis throno.
 Tu gentis ualido robore barbaræ
 Compescis furias: destruis impios,
 Ut nec nomina seris
 Narret fama nepotibus.
 Tu ferrum è manibus detrahis hostium:
 Prosternisque solo funditus oppida,
 Et